



SUPREMO TRIBUNALE
DELLA
SEGNATURA APOSTOLICA

PALAZZO DELLA CANCELLERIA
00120 CITTÀ DEL VATICANO

*Non licet hoc documentum reservatum tertiis
tradere eiusve aliquam partem typis edere aut
quovis alio modo publici iuris facere. absque
explicita licentia Supremi Signaturae Apostolicae
Tribunalis*

**Prot. n. 53102/17 CA
CALGARIEN.**

***Reductionis ecclesiae S. Patricii in usum profanum
(D.na D. Viney et alii – Congregatio pro Clericis)***

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno VIII, die 12 martii 2021, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Dominico Card. Mamberti, *Praefecto*, Raimundo Leone Card. Burke, Iosepho Card. Versaldi, *Ponente*, atque Exc.mis et Rev.mis D.nis Philippo Iannone, O. Carm., et Francisco Daneels, O. Praem., atque intervenientibus Cl.mo Andrea Errera, utpote Recurrentium Patrono, Cl.ma M. Wegan, tamquam Patrona Congregationis pro Clericis necnon Exc.mi Episcopi, et Rev.mo P. Nicolao Schöch, O.F.M., Promotore iustitiae deputato, in causa, de qua supra, hanc definitivam tulit sententiam.

FACTI SPECIES

Episcopus Calgariensis, Exc.mus Fridericus B. Henry, recepto voto favente Consilii presbyteralis et v.d. *Diocesan Planning Commission*, die 4 iulii 2006 unionem extinctivam paroeciarum Sancti Basilii, Assumptionis B.M.V. et Sancti Patricii in civitate v.d. *Lethbridge* cum effectu inde a die 1 novembris 2006 decrevit, novam paroeciam sub patronatu omnium Sanctorum posita.



Ipse Ordinarius die 1 augusti 2011 paroecianis praenuntiavit propositum construendi novam ecclesiam cum aedificio paroeciali adnexo pro actuositatibus pastoralibus loco ecclesiarum paroeciarum suppressarum Sancti Basilii, B.M.V. Assumptionis et S. Patricii in pago v.d. *Lethbridge*, quae ad cultum divinum claudendae essent. Contra talem decisionem consociatio v.d. *Save Our Churches Association* (SOCA) cum fine conservationis praefatarum ecclesiarum condita est. Decreto diei 10 iulii 2014 Exc.mus Episcopus, audito Consilio presbyterali et Comitatu v.d. *Planning Commission*, clausuram definitivam ecclesiae Sancti Patricii ad cultum divinum, iam ad paucas celebrationes praenuntiatas reductum, decrevit.

Frustra ab Exc.mo Episcopo petita revocatione decreti ecclesiam S. Patricii claudentis, Cl.mus Philippus Gray, de mandato Cl.mi Noronha, nomine 510 fidelium novae paroeciae Omnium Sanctorum, recursum hierarchicum ad Congregationem pro Clericis die 23 decembris 2015 interposuit. Recepto voto Exc.mi Episcopi, Congregatio die 3 augusti 2016 respondit declaratione illegitimitatis clausurae de facto ecclesiae S. Patricii et manifestatione incertitudinis circa propositum constructionis novae ecclesiae. Statuit ergo ecclesiam Sancti Patricii adaperiendam esse nisi gravis ratio, de qua in can. 1222, § 2, ad reductionem huius ecclesiae in usum profanum exstaret.


Exc.mus Episcopus, bis audito Consilio presbyterali et obtento consensu eius, decreto diei 1 octobris 2016 decisionem tulit ecclesiam S. Patricii cum effectu inde a die 1 ianuarii 2017 in usum profanum reducendi. Die 11 octobris 2016 idem Episcopus remonstrationem adversus tale decretum a procuratore Cl.mo Noronha exhibitam reiecit. Idem Cl.mus Noronha die 3 novembris subsequenti recursum hierarchicum ad Congregationem pro Clericis interposuit, quae die 21 novembris 2016 declaravit recursum contra clausuram ecclesiae S. Patricii post emanationem decreti reductionis huius ecclesiae in usum profanum obiecto carere.

Epistola diei 9 decembris 2016 D.nus Noronha nomine proprio et ceterorum Recurrentium contra decretum reductionis ecclesiae S. Patricii in usum profanum ad Congregationem pro Clericis provocavit petendo suspensionem. Congregatio recursum accepit denegata tamen suspensione decreti episcopalis.

Novus Episcopus, Exc.mus William Terrence McGrattan, succedens Exc.mo Friderico B. Henry, die 27 februarii 2017 possessionem dioecesis Calgariensis cepit.

Decreto diei 14 martii 2017 Congregatio pro Clericis recursum procuratoris Noronha contra primum decretum die 6 aprilis 2017 negative dimisit.

Idem procurator die 13 iulii 2017 nomine proprio et de mandato 510 fidelium recursum penes hoc Signaturae Apostolicae Tribunal interposuit petens revocationem decisionis Congregationis pro Clericis et adaperitionem ecclesiae S. Patricii ad cultum divinum. Successive, die 10 aprilis 2018, procurator ab



H.S.T. suspensionem executionis decreti impugnati petiit.

H.S.T., auditis partibus et recepta notificatione mandati patronorum partium, in Congressu diei 14 septembris 2018 decisionem tulit recursum ad disceptationem coram Em.mis Exc.misque H.S.T. Iudicibus admittendi et decreto eiusdem diei executionem decreti Congregationis Episcoporum concessit. Die 18 octobris 2018 dubium concordatum est adhibita formula: *An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 14 martii 2017 latum et die 3 maii 2017 confirmatum.*

Die 18 octobris 2018 H.S.T. supplementum instructorium per quaesita ad Exc.mum Episcopum relate ad statum ecclesiae Sancti Patricii, eventuales emptores, statum collectionis pecuniae pro constructione novae ecclesiae necnon progressum in praefata constructione cum necessariis licentiis auctoritatis civilis, quibus litteris diei 30 novembris 2018 respondit.

Re inter Cl.mos Patronos partium Rev.dumque Promotorem iustitiae deputatum rite discussa, Nobis nunc dubio concordato respondendum est.

IN IURE ET IN FACTO

Ad obiectum iudicii tantum ponderatio decreti Congregationis pro Clericis diei 14 martii 2017, die 3 maii 2017 confirmati, pertinet, quo recursus a Cl.mo Noronha nomine proprio exhibitus et mandato permultorum fidelium paroeciae Omnium Sanctorum adversus decretum Exc.mi Episcopi Calgariensis diei 1 octobris 2016 reiectus est, quo reductio in usum profanum ecclesiae S. Patricii in eadem paroecia sita et iam de facto inde ab anno 2011 clausa, decretum est.

Recurrentes penes H.S.T., quorum personam Adv.tus Andrea Errera tamquam Patronus gerit, decretum Congregationis pro Clericis impugnant, quia ageretur de violatione can. 1222, § 2 ob graves errores sive in procedendo sive in decernendo. Adv.ta Martha Wegan, e contra, nomine Congregationis pro Clericis asseruit recursum reiciendum esse, eo quod nulla violatio legis exstaret.

Ad Collegium nunc minime spectat decisionem ab Exc.mo Episcopo latam examinare, qua paroecias S. Basilii, B.M.V. Assumptionis et S. Patricii suppressit et unicam novam paroeciam Omnium Sanctorum erexit. Ne pertinent quidem ad obiectum iudicii acta decreto diei 1 octobris 2016 praecedentia, quo tantum ecclesia S. Patricii ad usum profanum reducta est, scilicet primum recursum ad Congregationem pro Clericis adversus clausuram eiusdem ecclesiae S. Patricii examinare.

Obiectum iudicii Nostri tantum est legitimitas sive in procedendo sive in decernendo an minus reductionis ecclesiae S. Patricii in usum profanum non sordidum (cf. can. 1222, § 2).



De assertis legum violationibus in procedendo

Iuxta can. 1222, § 2 praescriptum ecclesia, quae amplius ad cultum divinum adhiberi nequit, dummodo rationes graves exstant, ab Episcopo in usum profanum non sordidum reduci potest. Praeter praesentiam rationum gravium auditio Consilii presbyteralis et receptio consensus eorum requiritur, qui iura in eadem sibi legitime vindicent, dummodo bonum animarum nullum pateat detrimentum.

Non obstante argumentis a parte recurrente prolatis Exc.mus Episcopus quoad substantiam praescriptum in reductione ecclesiae S. Patricii in usum profanum servavit bina consultatione Consilii presbyteralis et receptione consensus eius. Nec obligatus erat obtinendi consensum paroecianorum, quia nemo in casu iura in eadem ecclesia vindicare potuit (cf. can. 1222, § 2). Merae oblationes ad aedificationem vel conservationem ecclesiae minime gignunt ius quaesitum circa futuram destinationem ecclesiae, nisi data et accepta sint iuxta praefatam condicionem formalem.

De assertis legum violationibus in decernendo

Ad aestimandam hypothesim violationis legis in decernendo necessarium est simul cum circumstantiis decisionem finalem Exc.mi Episcopi examinare, nempe reducendi ecclesiam S. Patricii in usum profanum haud sordidum. Ex actis clare evincitur inde ab initio intentionem Exc.mi Episcopi Henry fuisse non solummodo tres paroecias exsistentes in territorio pagi v.d. *Lethbridge* legitime supprimendi, sed etiam claudendi et reducendi tres ecclesias ibi exstantes in usum profanum, ita ut pecunia necessaria pro exstructione ecclesiae novae paroeciae Omnium Sanctorum obtineri posset.

Exc.mus Episcopus legitime censebat novam paroeciam et novam ecclesiam hodiernis exigentiis pastoralibus melius congruere. Hoc propositum ad effectum ducendi iuxta mentem Exc.mi Episcopi et organorum consultationis eius requireret alienationem trium ecclesiarum in territorio exstantium, quia alio modo pecuniam pro nova constructione, scilicet summa 20.000.000 \$ CA suppeditari non potuisset. Hanc ob rem in decreto Exc.mi Episcopi diei 1 octobris 2016 statutum est: "The financial requirements to build a larger church necessitates the selling of the three present church sites. It is impossible to finance such a building without this action. With the sale of these three sites the finances for building the new church is assured".

Exc.mus Episcopus tamen propositum iam anno 2011 inchoavit et de facto solummodo ecclesiam S. Patricii cum acto claudit, quod ipsa Congregatio pro Clericis in epistola diei 3 augusti 2016 illegitimum declaravit, commendans novam aperturam ecclesiae usquedum reductio eius in usum profanum ob causas graves iuxta praescriptum can. 1222 § 2 ad normam iuris decisa fuisset. Exc.mus Episcopus novam aperturam ecclesiae haud accepit, sed nulla interposita mora



proceduram reductionis eiusdem ecclesiae in usum profanum inchoavit. Ex actis intui potest, Exc.mum Episcopum ad reductionem solius ecclesiae S. Patricii in usum profanum processisse ob necessitatem obtinendi saltem pecuniae suppeditationem ad constructionem novae ecclesiae necessariam.

Revera tamen inter consecraria clausurae ecclesiae ad cultum inde ab anno 2011 enumerandum est factum aedificium hodierno die ruinosum esse et interventum refectionis cum expensis requiri, qui summam 3.500.000-4.500.000 \$ CA attingit. Pretium parvae ecclesiae S. Patricii cum adnexo aedificio paroeciali iuxta indicationem a novo Episcopo die 30 novembris 2018 huic Supremo Tribunali datam solummodo 1.824.300 \$ CA est. Ipse Exc.mus McGrattan, omnibus insimul consideratis, asserit magis conveniens esse diruendi totum aedificium et vendendi merum solum.

Rerum condicio tempore emanationis decreti impugnati Congregationis ita describi potest: ecclesia S. Patricii cum consecrariis cessationis conservationis aedificii et amissionis valoris clausa est, cum ceterae duae ecclesiae, scilicet S. Basilii et B.V. Assumptionis, ad cultum huc apertae manent. Propositum constructionis novae ecclesiae huc persistit in statu praeliminari. Cum expensae 20.000.000 \$ CA praevideantur, in decem annos, scilicet ab anno 2008 usque ad annum 2018 solummodo summa 4.682.824 \$ CA collecta est, etiam eo quod nonnulli coetus paroeciales sese propositae exstructioni opposuerunt. Prae oculis habendum est summam minimam ad constructionem incipiendam esse 10.000.000 \$ CA. Collectio pecuniae suspensa erat exspectando finem controversiae coram H.S.T. pendentis.

Exc.mus Episcopus solum ad exstruendam novam ecclesiam in periphria civitatis v.d. *Lethbridge* et ab ecclesiis paroeciarum iam suppressarum distans, acquisivit, qui tamen huc apparatu aquae, electricitatis, cloacae etc. a lege municipali praescriptis carebat, quamquam Exc.mus Episcopus hanc difficultatem oppositioni syndaci tribuit, qui membrum comitatus pro conservatione ecclesiae, v.d. *SOCA*, est. In responsione Exc.mi Episcopi diei 30 novembris 2018 ad quaesita huius Supremi Tribunalis explanatur licentiam ab auctoritate civili in fine anni 2018 concessam et conclusionem laborum praeparationis soli mense februario 2019 praevisam esse. Eadem epistola Exc.mus Episcopus asseruit adumbrationem novae ecclesiae tantum mense iunio 2019 completam fuisse, ita ut opus mense aprili 2021 incipere et anno 2023 ad terminum perducere posset. Fatendum est numerus incolarum in media urbe generatim decrescere et in locis, quae circumiacent crescere.

Quibus omnibus praehabitis, ad hoc Collegium iudicans quaesitum devolutum est, utrum in casu hae causae graves exstent ad ecclesiam S. Patricii in usum profanum non sordidum reducendi, necne. Decretum Congregationis pro Clericis diei 14 martii 2017 agnoscit Exc.mum Episcopum solutionem ab omnibus paroecianis acceptam frustra invenire temptavisse. Decisio Ordinarii



legitima consideratur, eo quod constructio novae ecclesiae et necessaria pecuniae suppeditatio causae graves ad reductionem ecclesiae S. Patricii in usum profanum constituissent.

Congregatio iam in litteris circularibus diei 30 aprilis 2013 asserit gravitatem causarum, de quibus in can. 1222, § 2, non peremptorie consistere in unico elemento, sed constitui posse "from a combination of just causes, each insufficient in itself". Haec combinatio causarum non gravium ponderatur examine obiectivo, scilicet non arbitrario diversorum factorum concretorum in singulo casu, exempli gratia e circumstantiis, ex rerum condicione loci, oeconomiae vel nummariae necnon propositionibus communitatis fidelium.

Constans H.S.T. iurisprudentia, ut recte animadvertit Promotor iustitiae deputatus, e contra, requirit, quod saltem una ex causis sufficienter gravis sit, ut iam sola motivum reductionis ecclesiae in usum profanum praebeat: « La S. Congr. per il Clero pensa che anche se tutte le cause non sono certe, da tutto l'insieme l'Ordinario possa formarsi il concetto dell'esistenza di una causa giuridicamente sufficiente. Questo è vero solo se almeno una causa è giuridicamente valida e certa: dal cumulo di probabilità infatti non si genera la certezza. L'Ordinario di ... pensa, da parte sua, che "le cause pastorali" aggiunte a tutte le altre del Codice siano di esclusiva valutazione dell'Ordinario. Ciò non può ammettersi: bisogna che queste cause pastorali siano ben specificate, perché possa darsi un giudizio se siano *secundum legem* » (Epistola Eminentissimi H.S.T. Praefecti, P. Felici, diei 24 iulii 1978 ad Secretariam Status circa quaestionem executionis sententiae affirmativae H.S.T. prot. n. 9036/77 CA, *coram* Felici diei 8 aprilis 1978).

Iurisprudentia H.S.T. hoc principium applicat ut saltem una ex causis vera et probata requiratur, quae "proportionata sit ipsi gravitati negotii, seu reductioni aedis sacrae in usum profanum, nec haberi possit ex mero cumulo rationum ad rem non pertinentium" (Decr. Congressus coram Mamberti diei 22 iunii 2016, prot. n. 49967/15 CA, p. 5).

Iuxta Em.mos Exc.mosque Patres Collegii ex examine omnium factorum in decreto Congregationis enumeratorum deducitur absentia gravis causae quoad reductionem in usum profanum ecclesiae S. Patricii. Ponderando enim obiective successionem chronologicam omnium gressuum ab Exc.mo Episcopo peractorum et hodiernam condicionem novae paroeciae evincitur solam venditionem ecclesiae S. Patricii, inde ab anno 2011 clausae et anno 2016 in usum profanum reductae rationem proportionatam relate ad hoc finem minime constituere, eo quod Exc.mus Episcopus e venditione inchoationem constructionis novae ecclesiae obtinere temptavit. In meliori hypothesis opus exstructionis novae ecclesiae incipiat mense aprili anni 2021 et anno 2023 ad perfectionem perducat, scilicet ultra decem annos post clausuram definitivam ecclesiae Sancti Patricii. Praeterea sola venditio ecclesiae S. Patricii, cuius valor anno 2018



aestimatum est infra 1.824.300 \$ CA, ne ad labores incipiendas quidem sufficeret, cum collectio pecuniae summam 4.682.824 \$ CA minime excesserit et iam initio laborum summa 10.000.000 \$ CA requiratur.

Ex accurata consideratione circumstantiarum loci et temporis clare elucet, decisionem anni 2017, nempe reducendi ecclesiam Sancti Patricii in usum profanum, minime gravi causa suffultam fuisse, eo quod sine venditione contemporanea etiam ceterarum ecclesiarum et ulteriore pecuniae suppeditatione, expensis proportionata, nova ecclesia aedificari non potest. Aliis verbis deficit nexus causalis inter decretum a Congregatione anno 2017 latum et possibilitatem exstruendi novam ecclesiam.

Ceterum ipsa Congregatio pro Clericis in litteris ad Exc.mum Henry diei 3 augusti 2016 in lucem collocavit pondus duorum argumentorum in decisione circa constructionem novae ecclesiae adductorum: oppositio nonnullorum fidelium adversus clausuram ecclesiae S. Patricii et incertitudinem circa capacitatem novum propositum relate ad selectionem fundi et necessariam pecuniae suppeditationem ad finem perducendi. Hanc ob rem suasit aperturam immediatam ecclesiae S. Patricii et attentum examen utrum necne rationes graves pro reductione in usum profanum iuxta praescriptum can. 1222 § 2 exstarent. Praeterea disceptavit an pecunia attenta bona condicione oeconomica novae paroeciae etiam sine venditione ecclesiae Sancti Patricii ad incipiendum propositum constructionis sufficere posset.

Adv.ta Wegan ratiocinationem Congregationis defendit asserens propositum exstruendi novam ecclesiam mediante venditionem trium ecclesiarum paroecialium decreto diei 4 iulii 2006 in unam novam paroeciam erectarum minime recens esse, sed ascendere ad annum 2007, scilicet ad tempus praenuntiationis constructionis novae ecclesiae.

Hoc argumentum existentiam gravis causae ad reductionem in usum profanum, quod attinet, minime probat. Gravis causa in impossibilitate conservandi tres ecclesias insimul cum constructione novae ecclesiae cum aedificio paroeciali adnexo consistit, minime in mero proposito constructionis novae ecclesiae. Ad rem imprimis obiciendum est applicationem principii iuxta quod ad novam ecclesiam erigendam venditio et demolitio ecclesiarum iam exstantium licita esset, secumtulisset demolitionem multarum ecclesiarum locis ad actuositatem pastorem carentibus sic et simpliciter ad lucrum faciendum, quod minime congruit cum destinatione primaria ecclesiae ad cultum divinum, quia semper construi possunt alia aedificia adnexa sine necessitate demolendi ea iam exstantia, in specie dum de aedificio valoris historici et a populo Dei visitato agitur.

Imprimis quaerenda sunt aliae viae pecuniae suppeditationis praeter venditionem ecclesiarum, in specie quando, sicut in casu, deficere non videntur facultates nummariae sufficientes. Argumentum subsistentiae gravis causae non



sustinetur etiam eo quod tres ecclesiae de facto in statum profanum reductae non fuerunt, sed tantum ecclesia Sancti Patricii, quod ne sufficiens quidem erat ad opus constructionis novae ecclesiae solummodo inchoandum et consecraria nefasta secumtulit, quia post illicitam clausuram de facto anno 2011 haec ecclesia periclitans facta est et valorem amisit. Iuxta epistulam Exc.mi Praesulis diei 30 novembris 2018 demolitio ecclesiae peropportuna apparuit. Tempora et circumstantiae, quibus decretum Exc.mi Episcopi emanatum et decreto Congregationis pro Clericis diei 14 martii 2017 confirmatum est, demonstrant, saltem hoc tempore non existere graves causae ad reductionem ecclesiae S. Patricii in usum profanum non sordidum efficiendam.

CONCLUSIO

Omnibus sive in iure sive in facto aeque rimatis, infrascripti Patres, Christi Nomine invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt et facto respondent:

Affirmative, seu constare de violatione legis in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 14 martii 2017 latum et die 3 maii 2017 confirmatum.

Pars Resistens summam 1550 Euro pro expensis processualibus solvat et cautio in arca H.S.T. deposita Parti Recurrenti restituatur. Partes suo quaeque Patronae congruum solvant honorarium.

Hanc definitivam sententiam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 12 martii 2021.

(Signati)

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus*

Raimundus Leo Card. BURKE

Iosephus Card. VERSALDI, *Ponens*

+ Philippus IANNONE, O. Carm.

+ Franciscus DANEELS, O. Praem.



Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 12 martii 2021.

(Signati)

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus*

Raimundus Leo Card. BURKE

Iosephus Card. VERSALDI, *Ponens*

+ Philippus IANNONE, O. Carm.

+ Franciscus DANEELS, O. Praem.

Et notificetur.

Die 6 septembris 2021

+ *Ios. Sciacca*

+ Iosephus SCIACCA
Secretarius



Mário Leite de Oliveira

Marius LEITE DE OLIVEIRA
vices Praepositi Cancellariae gerens

CONCORDAT CUM ORIGINALI
de 30 septembris 2021
Mons. Mário Leite de Oliveira
Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis